

§ XXXIII. — DE SECUNDO CHRISTI VERBO.

I. Liberalitas Christi in latronem commendatur: 1. Ex doni magnitudine. 2. Ex consortio regni Christi. 3. Ex confirmatione promissionis. Ejus causæ. 4. Ex parata oblatione. 5. Ex latronis conversione. — II. Fructus hujus: 1. Quam bonum Deo servire. 2. Quam confidendum in Dei auxilio. 3. Quam diffidendum propriis viribus. 4. Nemo non habet crucem suam. 5. Disce patientiam.

THEMA.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Luc. XXIII.

Genes. XL. cap. miram legimus historiam de Josepho misso in carcerem ex falsa delatione, et duobus eunuchis Pharaonis, qui et ipsi, sed ob delicta sua in eundem carcerem compacti erant. Pincernarum præfectus unus, alter pistorum. Accidit ut somniarent duo isti vineti, et pincerna quidem somniabat se videre coram se vitem, in qua erant tres propagines, et ex ea pendentes uvas, calicemque Pharaonis in manu sua, deinde accipere uvas et exprimere in calicem quem tenebat, et tradere poculum Pharaoni. Pistor vero somniabat se tria canistra farinae habere super caput suum, ex quorum supremo, in quo panes regios gerebat, aves comedebant. Cum ergo vidisset Joseph eos tristiores, causam sciscitatus est, eaque intellecta, somnia interpretatus. Et pincernæ quidem salutem et restitutionem officii sui prædixit; siquidem tres propagines, tres dies significarent, post quos ipse ad dignitatem suam restituendus et Pharaoni poculum propinaturus esset. Pistori vero suspendium; siquidem tria canistra tres dies essent, post quos in cruce suspendendus foret, ubi volucres eum devoraturæ essent. Atque ita res evenit, ut prædixit Joseph. Historia ista figura fuit, teste Ruperto ibidem, illius rei, quæ in monte Calvariæ inter Christum innocentem et duos latrones reos, omnes in cruce pendentes gesta est: Christus instar Josephi, somniorum interpretator, id est, prophetiarum et arcanorum Dei judiciorum reserator est. Latro bonus instar pincernæ, vidit coram se vitem trium propaginum, id est, Christum qui dixerat: *Ego sum vitis*, alligatam baculo crucis, in quo tres diversæ naturæ erant, divinitas, caro, anima. Hic per fidem vivam applicavit sibi passionem Christi, eamque pro se Deo obtulit dicens: *Memento mei, Domine*, et per hoc salutem est adeptus. Latro vero malus, ad instar pistoris, tametsi multa auxilia habuit ad conversionem excitantia, miram Christi patientiam, charitatem erga inimicos, prodigia, confessionem

centurionis et boni latronis, compunctionem populi, hæc omnia tamen supra caput posuit, id est contempsit, unde et volucres cæli comederunt omnia illa bona semina, quia in cor ejus non ceciderunt, et propterea ad suspendium inferni relictus est. Tria igitur canistra tres horæ erant, post quas in infernum rapiendus esset: panes et farina in canistris, auxilia divina quibus converti potuisset. Nunc ergo videamus Christi sententiam.

I. Continet hoc verbum mirabilem Christi liberalitatem et beneficentiam erga latronem bonum, quæ imprimis commendatur ex doni magnitudine. Paradisum enim illi promittit, non sane corporalem illum, sed longe præstantiorem, videlicet beatitudinem animæ, quæ in visione Dei posita et ipsa essentialis beatitudo est, ac summum bonum, quod usquequaque satiat appetitum hominis et omnium honorum aggregatio est. Hanc enim beatitudinis præstantiam, ut caperet et intelligere posset latro, nomine paradisi, qui hortus omnium deliciarum esse a nemine non sciebatur, appellare Dominus voluit; eamque illi eo adhuc die, quemadmodum et patribus e limbo eductis contulit. Nec dicere poterat Christus: *Hodie mecum eris in regno meo*; quia eo die nondum futurus erat in regno suo, id est, perfecta felicitate corporis et animæ; sed post resurrectionem primum. Jam vero quis non miretur Christi munificentiam, quia latroni tam parum de ipso merito tamque parum etiam petenti, tam magnum donum dedit, quantum nulli adhuc sanctorum in eam usque horam contulerat? Latrocinio ille assuetus erat et forsitan tota vita malus: extrema tantum vitæ periodo obsequium Christo præstitit, dum eum defendit et invocavit: et Christus, quasi eum tota vita fidelissimum servum habuisset, regni consortem facit. *Ille rogabat*, inquit S. Ambrosius, serm. VIII. in Psalm. CXVIII. *ut sui memoriam haberet, dum veniret in regnum suum, sed iste obtulit ipsum regnum*. Se nimirum esse magnum regem, magna docuit munificentia. Magna fuit Alexandri M. liberalitas erga Perillum quemdam amicorum suorum, cum exiguum pro filia dotem petenti, Alexander quinquaginta talenta dedit, illo autem dicente, satis esse sibi decem: *Tibi*, respondit, *accipere quidem satis est, sed mihi dare nequaquam*, teste Plut. et Sen. Similiter satis erat huic latroni, si vel meminisset ipsius Christi in regno suo. Sed non satis erat Christo, qui cum esset Rex regum, plusquam regio dono voluit eum afficere. Parum quidem offerebat Christo latro, linguam videlicet et cor, quæ sola habebat libera, parva duo minuta; sed obtulit totum quod habuit et potuit. Itaque liberaliter

eum remuneratus est Dominus, dum pro octo verbis, alia rependit octo, sed aurea pro æreis. Artaxerxi Persarum regi iter facienti, Persa quidam paupereulus Sineta nomine occurrens, cum aliud non haberet, quo regem suum honoraret, aquam manibus ex proximo amne allatam affulit. Quod munus adeo gratum habuit rex, ut aquam aurea phiala excipi, et homini stolam Persicam cum phiala aurea et mille denariis offerri jussisset, ut refert Elianus. Sic latro iste non habebat liberos pedes quos flecteret ante Christum, nec manus quas tenderet ad illum; solam linguam habuit et pro ea cælum recepit.

Secundo, commendatur ex Christi consortio, quo latronem dignabatur: *Mecum*, inquit, *eris in paradiso*. Quantum hoc est præmium? Maximum sane id foret, quamvis nihil aliud promitteretur. Nam ut scribit S. Augustinus, tract. LI. in Joan. *Ubi male poterat esse cum illo? Et ubi bene poterat esse sine illo?* Non enim exiguum mercedem voluit promittere Dominus servis suis cum dixit: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*, Joan. XII. Nam ut Augustinus ibi ait: *Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?* Certe in vita Christus ad arcana quædam opera, uti ad transfigurationem, etc. non accepit secum nisi tres amicissimos discipulos, et modo secum vult accipere latronem in paradiso. Sed: *Quæ conventio Christi ad Belial?* Aut: *Quæ conventio lucis ad tenebras?* Quid Christo cum latrone? Quid latroni cum paradiso? Sed jam tunc latro ille mutatus erat in lucem, mutatus in Christum, et conformabat se Christo Domino, accipiendæ crucem suam et sequendo illum. Quia ergo sequebatur illum ferendo post eum crucem suam, idcirco merito particeps factus est consolationis, qui fuit et tribulationis. Nimirum fuit cor ejus rectum cum corde Christi, idcirco Christus levavit eum in currum suum, quemadmodum Jehu fecit Jonadabo IV. Reg. X. Non ita malus latro, qui quidem cum Christo pendebat in cruce, sed corpore non animo. Ac propterea absque dubio factum, ut per terræ motum, qui Christo patiente contigit, mons Calvariæ ita scinderetur, ut inter crucem Christi et latronis mali fissura intercederet, adeoque Christi et boni latronis cruce ex una parte remanerent, crux vero mali ab illis separaretur, sicut referunt qui terram sanctam lustrarunt.

Tertio, quia confirmat suam promissionem Christus, quasi juramento, dicens: *Amen dico tibi*, id est, omnino affirmo et tantum non juro. Voluit autem Christus uti hæc asseveratione. Primo, ratione personæ, quæ quidem videbatur

ipse miserrimus et omnium hominum calamitissimus. Poterat enim quis cogitare, quomodo promittit hic paradiso, qui ne in hoc mundo quidem et urbe tolerabatur, sed ejectus in cruce pendet? Quique vivens non juvat seipsum, quomodo mortuus juvabit alios? Deinde ratione personæ ipsius latronis, qui non videbatur ulla ratione tanto beneficio dignus aut capax. Quomodo enim ego (cogitare potuisset latro) de sceleribus ad præmia, de cruce ad paradiso, potero transire? Tertio, ratione boni promissi, quod erat paradiso, qui sciebatur clausus esse hominibus, non animabus sed corporibus destinatus. Ob has causas, ne diffidere posset latro, promissioni asseverationem addit Christus. Ubi vide quam pronus sit ad salvandum.

Quarto, quia non differt diu promissionem, sed: *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso*. Non in extremo die judicii, non post aliquot menses, sed antequam sol occumbat. Non immerito existimat post S. Cyprianum martyrem S. Augustinus, lib. VII. de orig. animæ, c. IX. latronem illum posse vocari martyrem, et ideo sine purgatorio transivisse ex hoc mundo ad patriam. Quia enim Christum publice confessus est, quando ne ipsi quidem Christi discipuli confiteri eum audebant; hoc ipso, pro illo mori paratus fuit. Cur ergo non vocetur martyr? Et si martyr, cur non illico beatus? Deinde, quia Dei misericordia superexcultat iudicium, si autem die Veneris, quo post meridiem peccavit Adam, mox eodem die ejectus est e paradiso, quod tulerit fructum vetitum: cur non fur alter sed felicior eodem die Veneris, quod fructum feliciorum tulit ex arbore crucis, ingrediatur paradiso? Adamo dictum fuit: *In quocumque die comederis ex eo (ligno vetito) morte morieris*; latroni comedenti de ligno vitæ dictum fuit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Unde Glossa ordinaria hoc loco ait: *Qua hora Adam e paradiso ejectus fuit, eadem admissus latro in paradiso*. *Ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia*, ait apostolus ad Rom. V. Et sicut Adam, quia se excusavit et Deum accusavit dicendo: *Mulier quam dedisti mihi, etc.* ideo mox paradiso ejectus est; ita bonus latro, quia Christum excusavit, se vero accusavit, dicendo: *Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit?* Ideo mox paradiso dignus habitus est.

Quinto, quia ut volunt aliqui patres, Origenes tr. XXV. in Matth. Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, D. Thomas, Theophylactus, Euthymius, etiam iste latro prius blasphemabat; siquidem Matthæus et Marcus scribunt, etiam latrones Christo impropere et conviciatos esse. Non est certa hæc sententia, potuerunt enim illi

evangelistæ ponere numerum pluralem pro singulari; quomodo dicere aliquis a rustico irrisus potest: Etiam rustici mihi illudunt. Quia tamen multos habet auctores hæc sententia, non est improbable initio quidem ambos latrones conviciatos esse; posteaquam vero Christus tam ferventer oravit pro inimicis, alterum hoc charitatis igne accensum sententiam mutasse et collegisse plusquam hominem esse, qui in tanta caritate pro obtreatoribus et inimicis suis oraret, siquidem et: *Centurio videns quia sic clamans* (emissa scilicet ultima voce) *expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat*, Marci XV. Quod si ita est, maximam sane exhibuit Christus liberalitatem huic latroni, quando etiam recenti ejus delicto misericordiam non negavit. Sed nimirum quemadmodum Alexander Magnus cum subitum quemdam purpuram deseloquentem, magis muneribus cumulasset, sicque effecisset, ut qui prius obtreator erat, postea in laudem ejus orator fieret, dixit: *Hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere amicos*, teste Plut. de Alexandro: sic etiam nunc Christi gloria fuit, reddere ex obtreatore defensorem, idque per beneficia et orationem. Nimirum hoc fuit opportunissimum tempus, quando videlicet flammeus ille gladius a paradiso jam per Christum removebatur, et theriaca illa præstantissima, qua venenum peccatorum omnium de hominibus pellendum erat, conficiebatur. Egit enim Christus, quemadmodum illi qui conficiunt et vendunt theriacam. Permittunt namque ut quisquam reus mortis mordeatur a serpente, vel venenum bibat, ut theriacam suam in illo probent, et veneno infectum restituant saluti beneficio theriacæ. Conficiebat tunc temporis Christus theriacam sanguinis sui, contra omnia peccata præsentissimum antidotum, eamque jam venalem proponebat. Ut igitur ejus efficaciam probaret, permisit latronem cæteroqui gehennæ reum, ad extremum perditionis devenire, ut etiam Christo insultaret mediatori ac medico suo: sed eundem mox ita sanavit, ut ex latrone fieret angelus, ex reo martyr, ex obtreatore confessor et prædicator: quemadmodum non ita multo post ex Saulo fecit Paulum, ex persecutore prædicatorem.

II. Jam fructus hujus verbi videamus. Primo, agnosce Christi immensam misericordiam et liberalitatem, et quam bonum atque utile sit illi servire. Licet enim Christus occuparetur ingentibus doloribus, quibus poterat impediri, ne latronem orantem audiret, maluit tamen oblivisci calamitatis suæ, quam miserum se confidentem non audire. Ad hæc ad maledicta et opprobria pontificum, militum et latronis mali

penitus obmutuit: *Factus est sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutionem*: sed ad clamorem pauperis penitentis obmutescere non potuit. Denique pauca latronis verba, extremo quasi spiritu fusa, statim et liberalissime remuneratus est, æterna videlicet felicitate. Non ita domini sæculares, qui servientes sibi multis annis et fidelissime, inopes plerumque dimittunt et aulis suis excludunt; obsequiorum etiam sibi præstitorum citissime obliviscuntur, quemadmodum pincerna Pharaonis, qui tametsi rogatus a benefactore suo Josepho: *Memento mei cum bene tibi fuerit, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere*, tamen succedentibus sibi prosperis, oblitus est interpretis sui, ut ait sacer textus, Gen. XL. Rursum si totam pene ætatem in aulis principum contriveris, et plurimis obsequiis dominos tibi devinxeris, si ad extremum vel unico verbo offenderis, statim ejicieris, quasi nihil unquam benefeceris; quemadmodum idem Joseph expertus est in hero suo Putiphare, Genes. XXXIX. Non ita Dominus noster Christus, qui cum nihil accepisset a latrone nisi pauca bona verba et bonum desiderium; et licet antea semper habuerit inimicum, nihilominus liberalissime eum remuneratus est; totius enim vitæ delicta illi condonavit; deinde cum principibus populi sui eum collocavit et ad consortium mensæ suæ admisit.

Secundo, disce potentiam divinæ gratiæ et confidere in auxilio Dei plurimum. Ecce enim latronem, qui toto fere vitæ tempore latrociniiis vacaverat ac nihil unquam forte de Christo audierat, neminem fidei instructorem habuit, sed potius pontifices et principes populi audiebat dicentes: Christum esse seductorem, impostorem, regni affectatorem, etc. audiebat socium suum similiter ei improperantem, non audiebat ullum, qui pro Christo verbum loqueretur, imo ne ipsum Christum quidem calumnias refellentem; hunc latronem, inquam, in momento illustravit Dei gratia, et pro corde lapideo carneum illi dedit, ita ut Christum confiteretur innocentem et regem futuri sæculi: et quas prædicator effectus corripere sodalem, suadet illi penitentiam et coram omnibus commendaret se Christo humillime: ita denique se gereret, ut reliquum supplicii quod in ligno perfererat, verteretur illi in purgatorium, ipseque mox de cruce saliret ad paradysum. Profecto hæc mutatio dexteræ Excelsi fuit, et in illo verificatum est, quod in parabola operariorum dixerat Dominus, fore videlicet novissimos primos et primos novissimos. Quomodo enim non novissimus, qui paulo ante inferno erat vicinis-

simus? Quique postrema nora vitæ in vineam Domini venit? Et hic tamen in mercedis perceptione factus est primus et primitiæ crucis Christi ad solatium peccatorum. Certe etsi nunc multa prodigia facta sunt, hoc tamen repentinæ conversionis videtur omnia superare. Si enim magnum prodigium fuit velum templi scindi; non minus fuit, intellectum latronis tanto ignorantie velo obductum ita aperiri et illuminari, ut Christum in passione agnoscat Dei Filium. Si magnum prodigium fuit scindi petras; non minus fuit durissimum latronis cor scindi ad penitentiam. Si admirabile fuit, sepulera aperiri; mirabilius fuit e corde peccatis pleno, prodire verba salutis plena, siquidem *ex abundantia cordis os loquitur*. Quod si igitur gratia divina tantum potest, nemo diffidere debet; quia: *Omnia possum in eo qui me confortat*, ait apostolus. Gratiæ autem serio petenti nemini Deus negat. Quod ergo viribus nostris non valemus, cum gratia valemus: *Et si quis ea indiget, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*. Sed qua tandem re permotus et excitatus est hic latro ad cognoscendum et confitendum Christum? Origen. Chrysostomus et Hieronymus ex prodigiorum animadversione conversum putant. Sed videtur ex contextu evangelii colligi, prodigia conversionem ejus primum subsecuta esse. D. Hilarius et D. Bonaventura docent latronis viscera commota esse, visa inaudita patientia Christi, *qui cum malediceretur, non maledicebat, etc.* Theophylactus et Euthymius putant esse commotum oratione Christi orantis pro inimicis et obtreatoribus suis. B. Vincentius Ferrerius tribuit hanc efficaciam umbræ Christi, quæ tunc sub meridie ceciderat in latronem bonum, siquidem umbra Christi multo efficacior fuerit quam Petri, quæ infirmos sanabat. Et de hoc dictum putat Psal. CXXXIX. *Domine Deus virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli*. Sed præcipua conversionis causa, fuit interna illustratio et motio Spiritus sancti, qua internis oculis vidit amorem divinum per fenestras vulnerum Christi tralucens, et beneficium redemptionis immensum.

Tertio, disce etiam insufficientiam virium nostrarum et periculum presumptionis. Ecce enim licet bonus latro levi adjutus auxilio, in momento sit conversus: contra tamen perditus alter Christo æque vicinus atque iste et pluribus excitatus auxiliis nequaquam est conversus. Præterquam enim quod vidit Christi inauditam patientiam, miram erga inimicos charitatem, vidit præterea prodigia facta, audiit correctionem socii, conversum centurionem, vidit populum per-

cutientem pectora sua. Et cum his tamen subsidiis omnibus motum non est cor ejus. Id quod sæpius eventurum prædixit Dominus, Luc. XVII. cum ait: *Erunt duo in lecto, unus assumetur et alter relinquetur: duæ erunt moles in unum, una assumetur et altera relinquetur*.

Quis crederet non conversum iri latronem etiam istum, Christo tam vicinum in die plenissimæ indulgentiæ, in medio tot prodigiorum? Vicinissimum habebat botrum, et si modo extendisset manum, decerpere eum potuisset, adeoque Christi passionem sibi applicare. Sed id nequaquam fecit. Nemo igitur sibi fidat, nemo temere penitentiam differat; si enim latro unus in vitæ fine conversus est, alter non est conversus: et historiæ testantur rarissimos fuisse, qui, postquam male vixerint, bene mortui sint.

Quarto, disce neminem esse, qui non habeat suam crucem. Christus omnino innocens, latro bonus penitens, latro malus impoenitens; et omnes habent suam crucem, sed diversa ratione. Innocentes et penitentes libenter ferunt crucem, siquidem et Christus provocatus ut descenderet de cruce, non descendit. Similiter latro bonus: *Nos digna recipimus*, inquit. Sed impii abjicere crucem volunt: *Salvum fac temetipsum et nos*, inquit latro perditus. Illis crux est jugum suave, istis jugum grave. Illis crux durat tantum per unum hodie, istis vero æternum: siquidem crux Christi et latronis justi eodem die finem accepere, crux vero injusti finem nullum habuit. Illorum crux est fertilis quia gignit illis gloriam. Unde crux Christi adoratur, crux latronis boni honoratur, horum vero crux est sterilis et parit confusionem. Crux innocentium auget coronam, crux penitentium abluit peccata, crux impiorum inchoat gehennam. Elige nunc quam vis: aut crucem levem, brevem et salutarem, aut crucem gravem, æternam et exitiosam.

Quinto, disce patientiam, Christus enim Dei Filius, a vilissimo et perditissimo homuncione patitur opprobrium et tolerat quietissime, nec verbulo se defendit. Indignum facinus erat Semel illius qui contra regem David lapides mittebat et convicia expuebat. Hinc enim commotus Abisai dixit: *Quare maledixit canis hic mortuus Domino meo regi? Vadam et amputabo caput ejus*, II. Regum XVI. Sed parum istud erat, si cum facinore latronis impii comparetur. Et tamen nec Christus illi respondit, nec permisit ut angelus aliquis prodiret et supplicium de illo sumeret. Quid conqueritur ergo homo? Sed vide Dei providentiam; dum enim Christus tacet, alius ho-

norem ejus defendit, bonus nimirum latro, majore Christi gloria quam si se ipse defendisset. Quod prædictum Isa. XIII. *Glorificavit me bestia agri*. Vere enim latro ille bestia agri fuit, quando homines invadebat et laniabat : sed glorificavit Christum, quando innocentiam ejus testatus est, et blasphemum sodalem reprehendit. Contine ergo te, cum injuriis appetis : cito prodibit aliquis, Deo disponente, qui te innocentem efferat et calumniam depellat. Ducebatur jam ad mortem innocens Susanna, sed excitavit Dominus spiritum pueri Danielis, qui defendit innocentem maxima ejus gloria.

§ XXXIV. — CIRCA SECUNDUM DOMINI VERBUM, DE VIRTUTIBUS BONI LATRONIS.

I. Fides ejusque professio. — II. Spes et fiducia in Deum. — III. Caritas in Deum et proximum. — IV. Humilitas. — V. Mundi contemptus. — VI. Pœnitentia. — VII. Patientia.

THEMA.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.
Luc. XXIII.

Quod Matth. XX. in parabola operariorum dixit Dominus, fore ut qui ultima hora venerunt ad operandum in vineam, fiant in accipienda mercede primi; id in latrone bono impletum est. Qui profecto ultima hora vitæ suæ in vineam Domini venit, et tamen beatitudinis denarium primus omnium accepit; quia audiit a Christo in die quo paradisi gloriæ fuit apertus : *Hodie mecum eris in paradiso*. Sed quemadmodum de novissimis operariis reliqui conquesti sunt, quasi immerito sibi prælati sint; sic etiam in latrone isto possent forte aliqui impingere : et imprimis culpæ Christum quod erga latronem tam prodigus fuerit. Secundo, latroni insultare, quasi cælum non sit meritis, nec tam brevi tempore potuerit mereri. Rursum possent alii de Dei misericordia præsumere et differre consulto penitentiam usque ad finem vitæ; siquidem et latro tunc gratiam invenerit. Denique, possent alii sibi persuadere, quod sola fides justificet, opera nihil valeant; quando et latro per fidem tantum salvatus videatur : quo argumento Lutherani errorem suum tuentur. Sed his omnibus paterfamilias jure merito dicit : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ne quis igitur in hoc latrone erret, videbimus ejus virtutes et quidem heroicæ.

I. Fides ejusque confessio intrepida. Credidit

enim Christum esse regem alterius sæculi, in quo beare posset animas; et in quod per mortem suam iturus esset. Existimarunt Judæi Christum regem futurum in hoc mundo temporalem et regnum temporale habiturum. Sed hic latro melius edoctus quam omnes Scribæ et Pharisei, ait Christum regem non temporalem hujus, sed alterius sæculi æternum esse. Audierunt illi Christum regem se confitentem, sed quia nihil regium in eo viderant, ideo eum spreverunt et occiderunt. Latro vero longe perspicacior, asseruit Christum regem quidem esse, sed modo extra regnum suum, ideoque pauperem et despectum : venturum autem in regnum suum, paulo post mortem. Quod enim docuerat Dominus discipulos suos paulo ante passionem : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti*, Lucæ XIX. Hoc jam fatetur et latro, qui doctrinam hanc non audiit : habere scilicet Christum regnum idque per mortem accepturum. Magna itaque est fides hujus latronis. Si enim magnam dixit Dominus fidem centurionis, quia ipse credidit Christum etiam absentem posse impendere sanitatem : annon major hujus latronis, qui Christum etiam mortuum credidit salvare homines posse? Sed quid tandem in Christo vidit latro, ut talia de ipso crederet? Vidit sane Christum nudum, despectum, vulneratum, derelictum, pendentem inter latrones. Non audivit quemquam qui confiteretur Christum; audivit potius plurimos qui ipsum probris appetent et fictitium regem salutarent, non vidit adhuc prodigia illa, quæ postea primum acciderunt : non audivit nisi uno verbo orantem pro inimicis. Credidit tunc, quando in maximo erat cruciatu, quando Christum ipsi ejus apostoli confiteri non audebant, sed a longe stabant et titubabant. Quid? Discipuli euntes in Emmaus dicunt : *Nos autem sperabamus : Thomas : Nisi videro, non credam : Petrus : Non novi hominem istum* : et latro cruci affixus crucifixum novit et regem cæli confiteatur. Credidit Abraham Deo, sed de cælo sibi loquenti; Moyses de rubo loquenti; Isaias sedenti in majestate super thronum et angelis stipato; alii mira operanti. Sed latro credidit in cruce pendenti et reputato cum sceleratis, mirum nihil facienti. Magna erat fides magorum, qui pauperem infantem in stabulo repertum, regem crediderunt et ut regem venerati sunt. Sed quid magis a rege alienum quam patibulum? Et tamen pendentem, credidit esse regem et veneratus est hic latro. Unde de illius fide, S. Aug. l. I. de orig. animæ, cap. IX. ait : *Vere non invenit Christus tantam fidem in Israel, imo nec in universis*

mundo. Non miremur igitur, si tam magnam promissionem accepit a Christo Domino; decuit enim ut secundum eandem suam reciperet mercedem, regnum id videlicet, ejus tam luculentum ferebat testimonium. Et videamus quæso annon hic latro nos maximopere confundat, quia cum certissima habeamus testimonia de Christi doctrina et miraculis, de ejus præterea resurrectione et ascensione, de totius mundi conversione per ejus evangelium, quemadmodum oculis ipsis cernimus, aliaque innumera testimonia : nihilominus tamen adeo tepescimus in fide, ut nihil minus quam Christiani videamur. Quæro enim an serio credamus Christum nunc regnare in altero sæculo, nostri meminisse, posse nos beare et reversurum in die judicii, ut justos quidem præmii, injustos vero damnet? Sane dicetis : Credimus. Sed si serio credimus, quare ita vivimus, ac si regem et judicem non haberemus? Vel quasi ipse non consideraret ea quæ geruntur in mundo, et quasi nec beare nec condemnare quemquam posset? Quare præsentem tantum prosperitati inhiamus et de futura nihil curamus? Quare non laboramus ut propitium nobis reddamus regem nostrum in diem illum? Cur dominis terrenis sedulo nos commendamus et eorum gratiam ambimus, Christi vero gratiam non quærimus?

II. Spes et singularis in Deum fiducia. Quando enim alii clamabant : *Salvum fac teipsum* : item : *Altos salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*; tunc ipse firmissimam in Christum spem concepit, et salutem ab eo poposcit, non sane petiturus, nisi speraret eam sibi dari a Christo posse, ut verbo orantem pro inimicis. Non terruit ipsum quod Christus ipse jamjam commoriturus esset. Non terruit, quod sciret, se peccatorem esse maximum, qui non modo nihil unquam boni, sed plurima mala perpetrasset; tam bonum enim credidit Christum, ut etiam immeritis et inimicis gratiam et gloriam speraret non negaturum, si humiliter rogaretur. Sane ut refert Chav. de prud. Numantini rati nunquam fore ut Romanis propitiis uterentur, quibus totis viginti annis repugnando negotium maximum creaverant, desperabundi tandem se suaque in rogum conjecerunt. Potuisset hoc idem timere latro : sed nequaquam timuit, nec desperavit etiam apud offensum gratiam invenire. Non est consternatus, quod serius veniret ad Christum et in ultima vitæ hora : qua tamen perdifficile est gratiam invenire, et ut ait S. Augustinus : *Vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Tam potentem enim credidit Christum

esse medicum ut morbo etiam desperatissimo mederi posset : et si magnum scivit esse suum morbum, credidit etiam Christum magnum esse medicum. Nihil denique ipsum movit quod nullum unquam favorem aut benevolentiam Christi expertus esset, ut propterea spem suam in eo collocaret et suam in eo salutem poneret. Abraham si filium suum post immolationem resuscitandum a Deo speravit, id fecit quia jam multa divinæ erga se benevolentiae argumenta vidit. Alexander M. si Philippi medici sui consilio potionem (de qua per epistolam certior factus erat, veneno infectam esse) intrepidus ebibit, ut scribit Orosius de Alexandro, id fecit quia jam diu explorata illa Philippi fides fuit. At latro noster nullum unquam divinæ ejusmodi protectionis erga se experimentum fecerat. Et tamen rebus tam desperatis, spem suam in Christo posuit : atque hoc ipso eum valde glorificavit, in ejus opem totum se projecit, ideoque non est confusus, sed mox audire meruit : *Hodie mecum eris in paradiso, etc.* Neque tamen temere speravit, aut nimium securus fuit, quæ ratione sperant male hæretici, qui sine bonorum operum studio salutem sibi certam faciunt. Non ita inquam latro, sed dum speravit, simul bonis adhibuit operibus et humiliter Dominum rogavit : *Domine, memento mei*. Non triumphum cecinit, sed humiliter obsecravit. Itaque rursum confundit nos hic latro; primo quidem diffidentes de divina bonitate. Aliqui enim in extremis actum esse secum putant, ideoque confiteri nolunt et quandoque sibi ipsis vitam eripiunt, vel quod graviora sint eorum scelera, vel quod hora conversionis serior. Alii temere sperant, dum sine bonorum operum alis ad cælum se volaturos autumant, vel quasi jam in cæli mœnibus consistent, id sibi pollicentur : quos omnes confundit latro, qui licet de ratione sperandi nunquam edoctus esset, sapientissime tamen speravit, hinc in Deo confidendo, inde non præsumendo. Hæc est illa columba, pauperis oblatio, quæ retorto capite Deo immolatur Levit. V. cum enim aliud non posse offerre Christo, seipsum retorto ad Christum capite obtulit, dicens : *Memento mei, Domine*. Ita qui Deo in juventute et sanitate non servivit, saltem in senectute et mortis articulo retorqueat ad Christum caput suum per penitentiam, etc.

III. Caritas in Deum et proximum. In Deum cum Christum contra obtrectatores defendit, ejusque innocentiam contestatus est, quando id nec apostoli quidem facere audebant. Hoc enim sibi volunt illa ejus verba : *Nos quidem juste; nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.*